
N. P. Scandorph

(N. G. Seerup.)

Explicatio mysterii magni
Philipp. II. 6–10.


Hafn., 1642.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

1,-303.-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 015371

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

EXPLICATIO ORTHODOXA

Magni Myſterij (θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί) deſumpta ex cap. 2. Epiſt. ad Philip. à verſu 6. ad 10. incluſivè. 1. Tim. 3. v. 16. joh. 1. 14.

v. 6. Qui cum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, parem esse cum Deo. (7) Sed ipse sese inanivit, forma servi accepta, similis hominibus factus: et habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen.

A. D. O. M.

Præſide

Viro Clariſſimo & Excellentiſſimo

Dn. D. NICOLAO PAULI SCANDORPHIO S. S. Theologiæ in almâ Hafnienſium Academiâ Profeſſore celeberrimo, directore ſtudiorum ſuorum prudentiſſimo, fautore & promotore æternùm venerando,

Diſqviſitioni modeſtæ ad diem 16. Novemb. Anni currentis 1642. horis & loco conſvetis, ſubjicit

NICOLAUS GEORGII SERUPIUS.

№ 15.

2. Tim. 2. 19.

Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ θεοῦ ἕστηκεν, ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην: ἔγνω ὁ κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ. καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα χριστοῦ.

/243

HAFNIÆ, Literis SARTORIANIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

VIRIS

Admodum Reverendis, Clariſſimis & Excellentiſſimis:

Dn. D. CASPARO ERASMO BROCHMAND facultatis Theologicæ Seniori & Decano ſpectatiſſimo, Diœceſeos Seelandicæ Epiſcopo vigilantiſſimo;

Dn. D. JOHANNI JOHANNIS RESENIO } Profeſſoribus S.S. Theologiæ celeberrimis;
Dn. D. LAURENTIO MARTINI SCAV: }

Dn. M. THOMÆ BANGIO, Profeſſori Sanctæ Linvæ digniſſimo,

Ut &

Dn. M. NICOLAO JOANNIS, Rectori Scholæ Viburgenſis laudatiſſimo, de Republ. literariâ optimè merito;

Dnis. Præceptoribus, fautoribus & promotoribus omni obſervantiæ & obſeqvij cultu honorandis,

Has ſtudiorum ſuorum primitias offert & dicat

Nicolaus Georgij Serupius.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DET KO
DA 1.-2
1 1 01

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

In nomine Chriſti

Θεανθρώπου.

Theſis I.

PLuſcula ſunt, qvæ nos Deo & pietati conſecratos, ad conſiderandum & altius expendendum μυστήριον Θεανθρώπου & Ανθρωποθέου inſtigare & extimulare debent: Illa namq; Φανέρωσις ἐν σαρκὶ, absq; graviſſimô æternæ ſalutis diſpendiô, ignorari neqvit. Eſai. 53, 11. Joh. 17, 3. Act. 4, 12. & 10, 43. 1. Cor. 2, 2. & 3, 11. 1 Joh. 2, 23. & ſeqvent. Hoc fundamentum, hic ſcopus, hæc ſumma totius ſcripturæ & doctrinæ Chriſtianæ (Auguſtinus in Pſalm. 86.) adeò, ut qvi non apprehenderit hunc Articulum neq; admiſerit in cor ſuum, ei nihil proſit, qvicqvid de Deo aut rebus divinis audit vel legit.

II. Sed verò ſublime illud Myſterium, non ex perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis percipitur: Sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, fide intelligitur; præ qvâ cognitionis ubertate Paulus omnem λόγου ὑπεροχὴν ex alto deſpicit. Qvapropter ad ſuos ſcribit Corinthios: *Non judicavi me ſcire aliqvid inter vos niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Hinc fluere, huc refluere omnes cogitationes noſtræ Theologicæ debent. Nam *hic Articulus Chriſtianos* facit, aut *nullus:* hoc amiſſô, nihil poſſunt reliqvi. Luth. in Joh. 8. tom. 2. Isleb: pag. 274. & in Joh. 6. ibid. 184.

III. Qvapropter hic vel maximè odium & furor Diaboli adverſus Eccleſiam conſpicitur: nam in eo totus eſt, ut ſi non *Chriſtum* at ſaltem *Chriſtianos* devorare, Apoc. 12. per totum, vel ad minimum ἀστηρίκτους reddere poſſit. Qvamobrem tantam errorum diverſitatem, (cujus comes difficultas) diſſeminavit, ut vera ſententia, reſectis ſtultis opinionibus ſecundum ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, absq; gratioſo & ſingulari S. S. Trinitatis præſidiô & ſubſidiô non ſeligi, nedum defendi poſſit. Id qvod manifeſtum erit, ſi à noſtrâ ætate retrò ire, & vetuſtiora ſecula luſtrare voluerimus. Turmatim enim convenére *Chriſtum* de ſoliô deturbaturi: qvod per totum ἐπαγγελίας tempus, à primâ promiſſione Parentibus noſtris factâ, usq; ad Chriſti paſſionem de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

monſtrare, in tabellâ qvaſi, aggreſſus eram, ſed ſvaſu & meliori conſiliô Dn. Præſidis, Præceptoris chariſſimi, Orthodoxam noſtrarum Eccleſiarum de Chriſto doctrinam præmitto, ad qvam velut Cynoſuram reliqva ſunt dirigenda, ut κυβεία Diabolica circa hoc fundamentũ fundamentorum, circa hanc ſalutis æternæ arcem unicam, magis magisq; detegi & caveri poſſit.

IV. Nam inſidiator ille cum videret Regni ſui amplitudinem luculentiori & eminentiori Meſſiæ cognitione imminui, nihil intentatum reliqvit, ut lapis ἀκρογωνιαῖος rejiceretur & Græcis eſſet *ſtultitia* Judæis *Scandalum*, & ſic omnibus *odor ad mortem*. Nec labor ipſius planè irritus fuit: multos enim [proh dolor!] in ruinam ſecum traxit, adeo ut vera de *Chriſto* doctrina ſæpius expiraſſe videretur. Hinc ut ſuum regnum latius diffunderet, *Græcos* in ſcenam protraxit, & qvotidie protrahit, qvi ſibi judicium de hoc *miraculo miraculorum*, infeliciſſimo eventu arripiant. Sed μυστήριον eſt τῆς εὐσεβείας, rationi παραδοξότατον. Iccircò Paulus ſedulò hortatur, ut caveamus ab ijs, qvi διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης συλαγωγοῦσι &c. Col. 2, 8. Eſt enim ſolius fidei unicè.

V. Non hic ſubſiſtit Diabolus, ſed fœdus cum Chriſto initum ſæpius diſrumpit. Documento eſſe poſſunt Judæi, qvibus *credita erant elogia DEI*, Rom. 3,3. qvorum erat ἡ υἱοθεσία, ἡ δόξα καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι Rom. 9. 4. & 5. ὧν πατέρες, ἐξ ὧν κατὰ σάρκα χριστός. Qvocirca eos ἰδίους appellat Joh. 1, 11. qvamvis ab ijs non ſit cognitus nec acceptus, ſed ignominioſæ crucis morti traditus. Qvoties, qvæſo, murmurarunt adverſus DEUM? qvoties fœdus tranſgreſſi ſunt? Habuerunt μόρφωσιν γνώσεως καὶ ἀληθείας. Rom. 2, 20. Habuerunt zelum DEI, non verò κατ᾽ ἐπίγνωσιν. Rom. 10, 2. Finem enim legis Chriſtum contempſerunt: idcirco naturales rami fracti ſunt: tu verò Oleaſter in ijs inſitus es, & συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας factus es. Vide ergo, ne Satan te decipiat & à Chriſtô divellat; noli gloriari adverſus Ramos tu non radicem portas, ſed radix te: μὴ οὖν ὑψηλοφρόνει ἀλλὰ φοβοῦ. Ideò circumſpectè, ut decet noſtram vocationem, ambulandum eſt, ne

ſimus

ſimus ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ Χριστοῦ Philip. 3, 18. τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καταπατήσαντες &c. Heb. 10, 29.

VI. Qvæ omnia nos ad piam *Chriſti* conſiderationem & devotum cultum excitant & invitant. Qvapropter nos, pro virium modulô, Myſterium ἐνσαρκώσεως, qvâ par eſt modeſtiâ conſiderabimus & venerabimur. Id verò Myſterij, à nullâ creatâ & finitâ cognitione percipi poteſt. Angeli enim concupiſunt εἰς παθήματα Χριστοῦ παρακύψαι 1. Pet. 1. 12. Diabolos δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον detineri Jud. Epiſt. v. 6. *Noſtram* naturam à λόγῳ aſſumi; *nos* in Chriſto ἠγαπημένῳ, ante mundi fundamenta eligi; *nos injuſtos* ſangvine *juſti*, redimi; *Nos inimicos* reconciliari, nec percipiunt, nec ſatis admirari poſſunt. Unde Luth. Gen. 32. per communicationem ἰδιωμάτων, *homo* eſt ſurſum, ſuper omnes creaturas ille nimirum & *DEUS* eſt infimus interim ſimiliter, qvod eſt Myſterium illud, in qvod Angeli cupiunt introſpicere: qvia propter unitatem Perſonæ vident Deum infrà, Hominem ſuprà. Reſen. lib. Apolog. cap. 8. de comm. idiom.

VII. Qvamvis hæc ita ſeſe habeant, non tamen erubeſcimus de ijs, qvæ in ænigmate, δι' ἐσόπτρου videmus, balbutire: ut κάλυμμα διανοίας magis magisq́; removeatur, nos verò per fidem poſſimus ἐκδημεῖν ἐκ τοῦ σώματος, ἐνδημεῖν δὲ πρὸς τὸν κύριον, 2. Cor. 5. v 6. ſeqq. qvò in tali πίστεως cognitione, ad vitam cœleſtẽ anhelemus, in qvâ, δι' εἴδους cum Chriſto noſtro ſempiternum ambulaturi ſumus. Qvam ſupereminentem tui cognitionem & amorem, da nobis Jeſu Chriſte. Amen.

VIII. Invocato divini nominis auxilio, manum operi admovemus. Verùm ne in ipſâ ἐξεργεσίᾳ huc & illuc incerto pede vagemur, more eorum, qvi *miraculum hoc miraculorum* liberiori ſtylo tradunt & extra ſcripturam ſapiunt, continemus calamum intra certos ſacræ ſcripturæ cancellos, veſtigia Pauli, in Epiſt. ad Philip, cap. 2. à verſ. 5. ad 11. preſſè ſecuturi. Ibi enim Symboli Apoſtolici ordine ſecundi fundamenta afferuntur, ut docet Reſen. diſput. de uno Mediatore habita 1611. Qvocirca hunc locum inſtituto noſtro accommodatiſſimum, brevi commentario [obſervatâ interim verborum δεινώσει] illuſtrare, animus eſt. Et ne

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

hoc ἀπαιδεύτως aggrediamur ſubjecti συνθέτου partes, non tamen ſenſu Phyſicô ſumptas, primo adducemus, poſtmodum, explicatâ ἑνώσει, ea qvæ arctiſſimam hanc naturarum unionem ſubſeqvuntur, ab inexhauſtô ſacræ ſcripturæ penu depromemus.

IX. In frontiſpicio verſiculi ſexti, qvem explicandum præ manibus ſumpſimus, occurrit vocula ὅς, qvi articulus ὑποτακτικὸς καὶ ἀναφορικὸς nos ad *ſubjectum*, ex ſuperiori verſu petendum injectâ velut manu revocat. Ὑποκείμενον itaq; materiæ præſentis, ſecundum εἱρμὸν ἀκολουθίας, eſt ὁ χριστὸς Ἰησοῦς & talis qvi ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχει: cujus ſc. ὑπάρξεως *prædicatum adæqvatum* ſubminiſtrant verba: *Non rapinam duxit*, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. De qvibus ſingulis ſuo loco dicendum.

X. Qvod *ſubjectum ipſum* concernit, extra omnem dubitationis aleam duas ſubinfert naturas, *Divinam* & *Humanam*: unde Damaſcen. lib. 3. de Orthod. fid. cap. 3. τὸ δὲ χριστὸς, ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, οὐ μονοτρόπως λογόμενον, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικὸν. Inde Ath. orat. 5. contra Arium tom. 1. χριστὸς τὸ συναμφότερον νοεῖται. Qvod ex collatis ſacræ ſcripturæ locis erit manifeſtum, *Chriſtum* enim eſſe *DEUM*, diſertè docet Paulus 1. Cor. 10, 9. ibi enim *Chriſtus* vocatur, qvi Num. 21, 6. nomine יְהֹוָה insignitur.

XI. Verùm *Socinus* ſomnijs ſuis addictus à nobis hic in diverſum abit. Scribit enim in libro, cui Titulus: Qvod Evangelici omninò deberent ſe cætui illorum adjungere, qvi falſò Ariani atq; Ebionitæ vocentur. Evangelici unà cum Pontificijs, in ſtatuendo, qvis ſit ille unus DEUS noſter, graviſſimè errant, non agnoſcentes nullum alium, qvàm Patrem Domini noſtri Jeſum Chriſti. Sic una cum ijsdem inſigniter falluntur, non ſtatuendo, qvis ſit unigenitus filius, non intelligentes, nullũ alium eſſe aut fuiſſe unqvam præter Hominem illum Jeſum Chriſtum Nazarenum, ex Spiritu S. in Mariæ virginis utero conceptum & inde natum. Qvam Ebionis hæreſin olim damnatam, poſtea verò à Socino interpolatam & ab orcô revocatam, defendit Smalcius in theſibus Grawero oppoſitis, ubi impiè, præter & ante Hominem natum non extitiſſe alium filinm DEI ſcribit. Eadem Oſterodo

mens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

mens eſt, qvi in Inſt. cap. 7. §1. fingit, qvod hoc myſterium ex cogitationibus merè carnalibus æſtimemus. Qvam calumniam in explicatione rationum Socinianarum removebimus: nunc indicaſſe ſufficit.

XII. Silentium ſcripturæ fruſtrà ab illis urgetur: æterna enim & divina Chriſti natura, ex compluſculis ſacræ ſcripturæ locis tutò probari poteſt. Collatio 1. Cor. 10. & Num. 21. ſuperius inſtituta Religioſo Lectori, qvi ſcripturæ loqventi credit, ſatisfaceret. Sed ut os Adverſario planè obſtruatur, ablegamus ipſum ad Eſaiæ 7. cap. cujus accuratior conſideratio, graviſſimum errorem nervoſè refutat. Achaz enim, de Judæorum ſalute, ob conjunctas potentiſſ. Regum copias, actum eſſe exiſtimabat metuebatq; ne populus Dei tot cladibus antea fractus, à circumfuſo exercitu deleretur. Qvapropter Deus ipſi, per Prophetam, optionẽ petendi ſignum futuræ & inſtantis victoriæ, in terris infrà, vel in cœlis ſuprà dedit. Sed Achaz, fictâ religione deterritus, id detrectavit, qvẽ Propheta his verbis excepit: *Propter hoc, dabit Dominus ipſe vobis ſignũ: Ecce enim virgo concipiet & pariet filium &c.* Senſus eſt: Conceptio & Nativitas Meſſiæ promiſſi, vobis ſignum liberationis erit. Et hoc ſignum non ſeorſim vel in cœlis vel in terris, ſed conjunctim majus & ſublimius alijs ſignis fututum: Dominus in cœlis exiſtens, erit de terrâ homo 1. Cor. 15, 47. Et hoc *geminatum ſignum* ratione *naturarum*; *unicum* verò reſpectu *Perſonæ & officÿ*, genuinò ſuo nomine עִמָּנוּאֵל vocabitur.

XIII. Idem aſtruit Propheta cap. 9. v. 6. ſeqq. *Puer nobis natus eſt*, inqvit; *Filius nobis datus eſt, & vocabitur nomen ejus* פֶּלֶא admirabilis, propter Perſonam & officium; יוֹעֵץ Conſiliarius, ob divinorum decretorum ſanctionem, & eorundem [qvod primarium] ἐξήγησιν Joh. 1. 18. Heb. 1. 1. Vocatur אֵל Deus ob Naturam; גִּבּוֹר fortis ob infinitam potentiam, Lutherus vertit Krafft/Reſenius Kempe; אֲבִי־עַד Pater æternitatis: 70. πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, qvos vulgatus ſeqvitur; Reſenius; Evigheds Fader.

XIV. Duo poſteriora nomina, abundè inſtitutum probant & firmant. Primò enim vocatur *Deus fortis*, qvod multi

cum

cum Hieronymo, disjunctè legendum, exiſtimant. Nihil tamen obſtat qvo minus, ad luculentiorem & evidentiorem probationem conjungantur, præſertim cum אֵל accentu miniſtro munah acuatur, non vero Regio diſtingvatur. Qvare Piſcator vertit ſtarcker Gott. Secundo vocatur אֲבִי־עַד non tantum Pater æternus, ſed Pater æternitatis. Notatur ergo non ſolum *æterna* ipſius *generatio*, ſed etiam *ſeculorum* productio: ſicut dicitur de Filio, qvod per ipſum ſecula ſint condita Heb. 1, 3. Jam qvi non ſaltem æternus eſt, ſed Pater æternitatis, eum ſanè verum *naturâ* Deum eſſe oportet. Qvibus ita declaratis, pro incarnatione *λόγȣ* ſic concludimus: Qvi eſt Pater æternus, & Parvulus factus eſt, is eſt verus Deus, & verus homo. Atqvi talis noſter Mediator. Ergo.

XV. Æterna & ineffabilis ipſius generatio [ut prætercam nativitatē, qvæ *ἐν πληρώματι χρόνȣ* contigit & verbo egrediendi, adjecto loci [Bethlehem] nomine, notatur] Mich. 5. 1. ad vivum exprimitur: ex te prodibit לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל qvibus dominium depingitur. וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם & egreſſiones ejꝰ ab initio, à diebus æternitatis. Qvod Galatinus lib. 4. cap. 13. de duplici nativitate ob numerum pluralem dictum putat: cui Vatablus in notis ſuis, & Vinckelmannus ſuper hunc locum aſſentiuntur.

XVI. Ab his diſſentit Meiſnerus diſput. de magno Pietatis Myſterio habita Wittebergæ Anno *τῆς ἐποχῆς τῶν χριστιανῶν* 1624. Allatam ſententiam incommodam eſſe probat. [1] qvia de *egreſſu temporali* ex Bethlehem jam ante dictum [2] qvia explicari neqvit, qvomodo *Nativitas Chriſti ſecundū carnē* ſit *ab initio*, niſi patiamur nobis obtrudi *ſomnium* Judæorum, qvi particulam materiæ ex qva mater Meſſiæ formanda ſignatam fuiſſe in Adamo à diebus ſeculi, id eſt, ab initio mundi ſibi perſvaſerunt. In qvo errore hæret Galatinus lib. 4. cap. 13. lib. 7. cap. 23. 24. [3] qvia tota vis vaticinij enervatur ſi egreſſus ab initio non de *reali exiſtentiâ* ſed *promiſſionibus tantum* intelligatur. (4) qvia de *uno egreſſu utraq; Phraſis*, ab initio â diebus ſeculi, loqvitur. Unde Lutherus vertit, welches Außgang. Sed verò 70. *ἔξοδοι*; Reſenius, hans udgange (ere) fra fordum fra evig tid: Qvod qvo ſenſu intellexerit beatæ me-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

memoriæ Reſen. vir celeberrimus & profundè doctus, in diexodo qvæſtionis, An Mediator ſit æternus, explicabimus : nunc inſtituti memores ad concludendum feſtinamus.

XVII. Omnia qvidem prolixius & fuſius eſſent explicanda, ſed hæc tàm clarè divinitatē Chriſti aſtruunt, ut apud Chriſtianos nullus dubitationi offucijsve ſit locus, niſi perfrictâ fronte & indocili mente aures veritati obturemus, oculosq́; claudamus. Corrigant itaq; mentem & lingvam Ebionitæ, Anabaptiſtæ, Antitrinitarij, Arriani, Photiniani, Carpocratiani, Praxeani, Sabelliani & Noëtiani. Singulos ſingulorum errores recenſere & perſtringere non eſt præſentis inſtituti : ſed horum Catalogum & ſeriem adornandam copioſiori lectioni & exercitatiori ingenio reſervamus. Qvi jam plura cupit, legat Catalogum conciliorum Selnecceri & Chemn. lib. de duabus in Chriſto Naturis, cap. 2. Reſen. lib. Apol. cap. 6. &c.

XVIII. Nos impudenter negari concludimus Chriſtum eſſe *ὑὸν μονογενῆ*, ob æternam illam & ineffabilem generationem: Cereum iccircò naſum ſcripturæ aſſuunt, qvi excluſâ æternâ generatione, alias *ὑότητος* agnoſcunt cauſas, qvæ utpote commentitiæ & ſpuriæ, à Balthaz. Meiſner. in brevi conſiderat. Theologiæ Photinianæ, contra librum Fauſti Socini ſuperius citatum, diluuntur. Id qvod, auxiliante Deo, in ipſo Colloqvio monſtraturi ſumus. Plura teſtimonia ex innumeris tam Veteris, qvam Novi Teſt. locis, ad probandam divinitatem, operoſè congerere nolo, ſaltem pro præſenti inſtituto cauſas, qvare oportuerit Mediatorem eſſe Deum, eruere & indagare libet.

XIX. Qvandoqvidem *ψηλὸς ἄνθρωπος*, nullo merito nos è faucibus Inferni eripere, & ab *ἐξȣσίᾳ σκότȣς* liberare potuit, manifeſtum eſt, qvod *noſtra neceſſitas* divinam poſtularit Naturam. Tantum enim *Homo* exiſtens, Deum videre non potuit. Joh. 1. v. 18. & 3, 43. 1 Tim. 6, 16. 1. Joh. 5, 20. Secundò : Nemo *ſuâ vi* potuit *καταλῦσαι ἔργα Διαβόλȣ*. Ergo ſangvis *Jeſu Chriſti Filii* Dei nos emundat ab omni peccato, 1. Joh. 1, 7. 2. v 2. & 4. v. 10. Rom. 8, 3. Mortuus eſt Chriſtus *ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν*. Rom. 5. 6, qvi à Morte teneri non potuit, ſed traditus propter peccata noſtra reſurrexit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

ad noſtram juſtitiam. Tertiò, *Homo* nos in filios Dei *adoptare* non potuit. Qvod Magdeburgen. in Centur. ſuis Deo Filio competere ex, 1. Joh. 3. v. 1. probant. Et qvamvis expreſſè ibi nominetur Pater, tamen ad Filium noſtrum Patrem haud incommodè referri, ex contextu liqvet. Hujus υἱοθεσίας, qvæ nobis per filium obtingit, mentio aliàs extat Gal. 3,26. Gal. 4, 5. & ſeqq. Rom. 8,15. & locis benè multis. Qvartò, Pontifex noſter *æternus* eſſe debebat, qvi ad dexterã Dei ſederet, pro nobis intercederet, & ob meritũ, ad qvævis peccata tegenda efficax eſſet, Eph. 1,4. 2. Tim. 1,9. Ebr. 7,24. Sextò; Nudus homo Eccleſiam colligere, eidemq́; adeſſe; corda hominum ſcrutari, gemitus & preces in qvovis loco exaudire, peccata remittere, ſpiritum ſanctum donare, mortuos in vitam revocare; mortem abolere; judicium exercere, & fidelibus immortalem hæreditatem, incontaminatam & immarceſſibilem coronã largiri; injuſtos Evangelij contemptores rejicere; omnia in cœlis & in terris reſtaurare, & in omnibus primas tenere, non potuit. Qvi plura deſiderat, inveniet apud Chemn. lib. de duab. in Chriſto Naturis cap. 11.

XX. Nunc paucis humana ὑποστάσεως indiviſæ natura demonſtrabitur, qvæ vel ex indole vocis χριστοῦ tutò probari poteſt. χρίσμα enim Chriſto ſecundũ humanam Naturam competere, tam eſt certum, qvàm qvod certiſſimum. Hinc Damaſc. χρίων ὡς θεὸς τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενος ὡς ἄνθρωπος. Secundum humanam itaq́; naturam dona præter menſuram accepit, qvæ per unctionem intelligi patet ex Luc. 4,18. 2. Cor. 1, 21. Act. 4. 27. 10. 38. Heb. 1, 9. Huc ſpectat illud venerandæ Antiqvitatis ἀξιόπιστον: Qvæ in tempore data ſunt, intelligenda ſunt ſecundum humanam Naturam, λόγος ergo מָשִׁיחַ in Vet. Teſt. vel χριστὸς, *Deo* & *fidei* dicebatur ſimpliciter: Ab *hominibus* verò, non ſine reſpectu incarnationis, in plenitudine temporis, futuræ. Lectorem, in re planâ & perſpicuâ, teſtimonijs non onerabo, illud enim Johannæum, λόγος σὰρξ ἐγένετο, à nullo Chriſtiano in dubium vocari poteſt. Qvid dicam de πρωτευαγγελίῳ: ſemen mulieris conteret caput ſerpentis, qvod primi parentes, ſpe ovantes, animoq́; exultabundi ab ipſo Chriſto didicerunt. Non hîc fuſè agam de cre-

brâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

brâ promiſſionis repetione & illuſtriori cognitione, ſed hâc vice cauſas aſſumptæ Naturæ adduxiſſe, erit rem ipſam probaſſe.

XXI. Rectè Magdeburgenſ. inter alia cedro digna docent, qvod verbum caro factum ſit: ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν Διάβολον, Heb. 2, 14. Secunda cauſa eſt beneplacitum Dei προορίσαντος ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Eph. 1, 5. Col. 1, 19. Tertiò invexit hominis παρακοὴ peccatum & peccati ſtipendium, Mortem. Mors verò, certiſſimum peccati indicium, lege nondum repetitâ, omnes ſibi ſubjecit, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Imò, ἐβασίλευσε καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτάνοντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. Sed magna παραπτώματος καὶ χαρίσματος differentia eſt: τὸ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα: τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. Concludimus ergò cum Apoſtolo Rom. 5, 15. ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε. Qvartò, talis nos decebat Pontifex, qvi πεπειρασμένος κατὰ πάντα καθ' ὁμοιώτητα χωρὶς ἁμαρτίας, noſtris miſerijs opitulari poſſet. Heb. 4, 15.

XXII. Jam ſupereſt ut qvid per humanam Naturam intelligatur, diſpiciamus. Neſtorius ſomniavit integram perſonam eſſe aſſumptam, qvod noſtrum calculum neqvicqvam meretur; Marcion deliravit, exiſtimans corpus ejus fuiſſe phantaſticum, qvem ducem Manichæi ſeqvuntur. Valentiniani finxerunt illud, ratione ſtirpis, originis & ſubſtantiæ, noſtris corporibus planè ἑτερούσιον. Nos verò ὁμοούσιον duabus eſſentialibus conſtans partibus, corpore ſc. & animâ, cum ſacrâ ſcript. affirmamus.

XXIII. Qvòd enim corpus aſſûpſerit, probat ipſe Chriſtus Luc. 24, 39. & Apoſt. Paul. Philip. 3. idem docet: graviter enim atteſtatur noſtra corpora conformanda aliqvando corpori Chriſti. Ubi ſanè omnis ſpectri, omnis ſpiritus, omnis phantaſmatis conditio expirat. Imò ſi corpus Chriſti fuit phantaſma, ipſa incarnatio fuit phantaſtica & putativa [qvod pulchrè notat Chemn.] Et ſi id verùm, Chriſtus incarnatus nobis κατὰ δόκησιν καὶ φάντασμα, erit ſapientia & juſtitia; unde ἐξ ἀνάγκης ſeqvetur nos putativè juſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

ficari & liberari, h. e. nobis ſine liberatione, ſub irâ Dei manentibus, pro vita æternâ, ſpectrum vitæ objici. Huc pertinet illud Nazianzeni: τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον: ὃ δὲ ἥνωται τῷ θεῷ, τοῦτο καὶ σώζεται.

XXIV. Animam ipſius, qvi vel æternam cum Judæis, vel nullam cum Arrianis, aſſerunt, ſcripturæ apertè contradicunt. Nobis ſanè ὁμοούσιος, nec παντῇ ἄψυχος, nec qvà ψυχὴν, æternus eſt. Confer Loca. Matth. 20, 28, 26. 38. Luc. 23, 46. Joh. 12, 27. Luc. 2, 53. Joh. 5, 30. & 6, 38.

XXV. Nec ſolum ambitu humanæ naturæ comprehenduntur συστατικὰ, ſed etiam παρεπόμενα τῇ φύσει, qvalia ſunt, certô qvodam loco circumſcribi, eſſe ὁρατὸν καὶ ἁπτὸν: qvæ tamen fuerunt liberrimæ voluntatis. Imò, involvuntur accidentales proprietates, ſine qvibus integritas ſpeciei conſervari potuit. Et hæ ſunt in duplici diſcrimine. 1. Naturales infirmitates humanam ſpeciem lapſu corruptam inſeqvutæ, qvales ſunt, fames, ſitis, triſtitia, fletus, laſſitudo, paſſibilitas: 2. Virtutes & qvalitates, qvæ humanæ naturæ inſunt formaliter, habitualiter, ſubjectivè & ſucceſſivè, & creſcunt donec ἕξεως τελείωσιν ſortiantur. Qvod eruditè, eruditiſſ. Hutterns, Art. de perſ. cap. 1.

XXVI. Sed humana Chriſti Natura ἀναμάρτητος ex ſui conditione his infirmitatibus non fuit obnoxia. Qvando verò genus humanum à morte æternâ eſſet liberandum, ſpontè ſuſcepit infirmitates [qvæ à peccato originem trahunt] non qvatenus culpæ ſed qvatenus pœnæ ſubeunt conditionem. Nec in univerſum omnes infirmitates ipſi attribuimus: eas enim qvæ nimiũ dignitati derogant, non reqvirebat opus redemptionis: Verè tamen langvores *noſtros* ipſe tulit, & langvores *noſtros* ipſe ſuſtinuit; ipſe vulneratus eſt propter peccata noſtra; & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Hinc verè eſurivit, verè ſitiit; verè defatigatus eſt; verè flevit; verè ætate & ſapientiâ coram Deo & hominibus profecit.

XXVII. Hâc ordodoxæ ſententiæ explicatione, nec Neſtoriana λύσις introducitur, nec Sociana ἀσυλλογιστία de perſonæ integræ aſſumptione confirmatur. Qvippe, proficere ſapientiâ, creſcere ætate & gratiâ coram Deo & hominibus, & πᾶν πλήρω-

μα

μα τῆς θεότητος poſſidere in tam tranſcendenti myſterio nullam parit contradictionem. Λόγος enim non factus eſt nobis ſolum ὁμοούσιος, ſed ὅμοιος; & ſpontè ejusmodi infirmitates ſed χωρὶς ἁμαρτίας ſuſcepit. Præterea qvoad plenarium uſum acceptæ Majeſtatis, in ijs retraxit, qvæ mortem & redemptionem, cujus gratiâ in mundum venerat, impedire poterant. Vid. deciſionem Sax. Qvæſt. inter Wyrtembergicos Theol. & Haſſ. Metnzerum & Feurbonium, juxtâ ac Amicam Wyrtembergicorum admonitionem ſuper eadem deciſione. Nec nobis à ferula Socinianorum multum metuimus, qvos Vir celeberrimus Dns. D. Caſparus Brochman. Theologus noſtræ ætatis primarius, Epiſcopus Diœceſeos Selandicæ Vigilantiſſimus, à vero deflectere, tribus pronunciatis declarat.

XXVIII. A primo pronunciato diſcent Sociniani, ſuppoſitū differre à perſonâ, ut latius ab anguſtiori. Suppoſito enim ſua competit στάσις, non verò ὑπόστασις: qvia nondum pervenit ad illam τελείωσιν, ultra qvam non datur aſcendere. Hæc Barth. in ψυχολογίᾳ ſacrâ, ſat eruditè. Solus ergò Deus ob æternam αὐθουσίαν & τελείωσιν undiqvaq; perfectiſſimam ὑπόστασις dici meretur: reliqva in ipſo σύστασιν & στάσιν habent. Inter ſublunaria verò homo qvi nobiliſſimam animalis ſpeciem conſtituit, σύστατος eſt, ratione Dei: ὑπόστατος verò in ſe & reſpectu inferioris κτήσεως, qvæ ὕπαρκτος & σύστατος, ſalutari debet.

XXIX. Hinc Chriſtus qvà Humanam naturam, non eſt ὑπόστατος ſed σύστατος, tum qvia Patre inferior; tum qvia ulteriorem perfectionem, ſecus qvàm nos homines, obtinet: ex proprâ verò στάσει habet, ut ſit τὸ δὲ τι, & non in nihilum redigatur. Sed qvandoqvidem in λόγῳ ſubſiſtit; & ut Damaſcenus ait: ἐν αὐτῷ ὑποστᾶσα ἐνυπόστατος μᾶλλον, καὶ οὐ κατ' αὐτὴν ἰδιοσύστατος, multò majora obtinet: ipſum enim verbum carnifactum eſt; eadem carnis ὑπόστασις, qvæ λόγου. vid. Mentzeri reſponſiones ad utrumq; librū Matthiæ Martinij: Inciſionem ſc. capita[illegible]m Φαινομένως Nervorum, ὄντως nævorum, Magiſtri Balthaſ. Mentzeri: & ſpicarum ſpinarumq; collectionem & examen.

XXX. Ad conſtitutionem enim cujuſvis perſonæ, duo reqvi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

runtur, (qvod ſecundum Brochmanni pronunciatum eſt) alterum eſt *natura ſingularis* conſtans hoc corpore, & hâc Animâ; alterum eſt *perſonalitas* ſeu talis ὑπόστασις, per qvam alteri incommunicabilis redditur, qvod deeſt aſſumptæ naturæ: non enim propriâ ſed τοῦ λόγου ſubſiſtentiâ ſubſiſtit.

XXXI. Qvæ ſententia diſparitate φύσεως non labefactari nedum deſtrui poteſt. Fatemur enim hoc eſſe μονότροπον καὶ ἐξαίρετον. qvod Brochmannus in tertio pronunciato urget, in cognitionem, inqvit, diſtinctionis naturæ ſingularis & perſonalitatis, ſolo Jeſu Chriſti exemplo manuducimur. Id verò peculiari & admirandæ unioni aſſcribimus, qvam φύσις adæqvare, & ad vivum ſuis exemplis exprimere neqvit. Id qvod duce ſpiritu ſanct. & comite ſcript. oſtendere allaborabimus.

XXXII. Magnum hocce pietatis myſterium triplici modo conſiderari poteſt: reſpectu Carnis, & eſt πρόσληψις; reſpectu λόγου ἐνσάρκωσις; ἐνσωμάτωσις; reſpectu utriusq;, & appellatur ἕνωσις ὑποστατική. Sed cum ἑνώσεως varij ſint modi, operæ pretium erit, eos percurrere & in certas claſſes diſtribuere, ut unionis perſonalis ſingularitas, his cognitis, innoteſcat. Vix enim affirmativè, potiſſimum negativè cognoſcitur. Removendi ergò ſunt modi peregrini, ut non tam qvid ſit, qvam qvid non ſit, oſtendatur.

XXXIII. Qvem admodum verò omne ens, vel eſt ſubſtantia vel Accidens, ita unio vel eſt in ſubſtantiâ vel in Accidente, illam ſubſtantialem hanc accidentalem nominamus. Prior eſt naturalis, mixta & arbitraria. Naturalis, qvæ vi naturæ exiſtit, eſt vel tranſcendens & ἀκατάληπτος, ut in Trinitate. Confitemur enim & colimus ἕνα θεὸν ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι, μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν μερίζοντες. vel comprehenſibilis: [1] ad unum ſuppoſitum: ut qvando ignis, κατὰ περιχώρησιν unitur ferro. [2] ad unam οὐσίαν, eſtq; multiplex: Metaphyſica, qvando ex eſſe & eſſen..., actu & potentiâ unum conſtituitur; Logica qvando ex genere & differentiâ ſpecies componitur; Phyſica & fit vel [1] per γέννησιν, qvando duo imperfecta, ſine abolitione, aut confuſione, ad conſtitutionem unius eſſentiæ, uniuntur

tur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

tur adeoq; compoſitum generatur: ut inter materiam & formam, corpus & animam vel [2] κατὰ διαφθορὰν ἢ ἀναίρεσιν, ut, qvando mixtum ex elementorum corruptione oritur.

XXXIV. Mixtæ, κατὰ σύγκρασιν aut ἀνάκρασιν, dictæ tria vulgò conſtituunt genera: κατὰ κρᾶσιν, per juſtam contemperationem, ut, cum ex aqvâ & melle fit mulſum; κατὰ φυρμὸν vel commaſſationem, qvando humida & ſicca miſcentur, ut ex aqvâ & farinâ, panis; κατὰ σύγχυσιν vel συναλοιφὴν, qvando ſine juſtâ temperaturâ ex duobus mixtis & confuſis fit aliqvod tertium, ut ex cerâ & pice, pipere & cinamomô.

XXXV. Arbitraria, fit conſiliô & voluntate Entis intelligentis, Dei, Angelorum, Hominum; voluntaria, reſpectu Dei, qvando ab ordine naturæ diſceditur, ut in Unione Perſonali & Sacramentali. Huc pertinet προσωπικὴ, & eſt, qvando Deus cum ſanctis unitur. Angelorum, ut & Hominum arbitriô, fit unio κατὰ παράστασιν. Παράστασις verò Angelorum cum ſit apparens unio, alijs dicitur κατὰ δόκησιν.

XXXVI. Unio Accidentalis, vel eſt Accidentium, qvatenus illa uniuntur cum ſuis ſubjectis: ut doctrina & Homo. Vel ſubſtantiarum, reſpectu termini, qvi eſt forma Accidentalis. Nos utramq; ſignificationem hîc admittimus. Illa eſt Naturalis, qvando, ea, qvæ ex principiis conſtitutivis fluunt, cum ſubjectô uniuntur, & fundatur in Accidente abſolutô, Qvantitate vel Qvalitate, ut, Homo eſt altus, craſſus, doctus, riſibilis &c: & reſpectivô, ut, qvando Accidens inter duo ſubjecta hærens utrumq; certo reſpectu importat. Voluntaria totidem dicitur modis. Nam in Qvantitate continuâ eſt κατὰ σύναψιν [1] κόλλυσις, qvum diverſæ tabulæ in unam menſam conglutinantur; [2] παράθεσις, cum duo aſſeres ſe invicem arctè attingunt; [3] σύμφυσις, qvando ſurculi inſerti, ramus, truncus, radix, in unam continuam arborem concreſcunt. In Qvantitate διωρισμένη fit Unio, (1) κατὰ σωρὸν, qvando multa grana in unum cumulum miſcentur; [2] κατὰ σύνθεσιν, qvando domus ex cæmentô, lignis & lapidibus extruitur. [3] κατὰ ἐπίθεσιν, ut, in lignorum ſtrue collocatâ. Unio in Qvalitate, eſt (1) καθ' ἁρμονίαν, qvando diverſi ſoni unum

con-

concentum abſolvunt. (2) καθ' ὁμόνοιαν ἢ συντροφίαν: eaq; eſt vel ἠθική, inter Amicos; μυστική, inter omnes fideles. Unionis reſpectivæ κατὰ σχέσιν dictæ; varij ſunt gradus: κατὰ ἀξίαν, ὁμοτιμίαν, ὁμωνυμίαν, κατ' εὐδοκίαν: qvæ ex ipſis Nominibus intelliguntur κατὰ σάρκα, qvæ eſt inter Maritum & uxorem; qvi ob conjugalem conſvetudinem dicuntur una caro.

XXXVII. Ex jam dictis certò concludo, nullam eſſe Unionem in totô rerum latifundiô, qvæ cum perſonali comparari poteſt. Cujus materiale duæ Naturæ: terminus, ipſa ὑπόστασις. Formale, potiſſimum ex remotione falſorum modorum cognoſcitur. Nos ergò, cum Conciliô Chalcedonenſi, factam eſſe ἀσυγκύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως affirmamus. Et qvanqvam nec Naturarum nec ἰδιωμάτων communicatio, eſſentiam hujus unionis, conſtituat: tamen, cum à priori vix cognoſcatur, per κοινωνίαν tanqvam poſterius qvid, in cognitionem ejus aſcendimus. Effectus enim nos in Cauſarum cognitionem evehunt.

XXXIIX. Reqviritur verò ad hanc Unionis ὑποστατικῆς formam, non tantum arctiſſima *Naturarum* præſentia, ita ut ubi λόγος eſt, ibi ſit Caro, qvod Hunnius contra Pezelium; & Mentzerus in Antimartinô invictis argumentis probant: ſed etiam mutua & profundiſſima *Naturarum* περιχώρησις, qvâ ſe invicem intimè & ineffabiliter permeant, unumq; ὑφιστάμενον conſtituunt: qvam περιχώρησιν κοινωνία *Naturarum* inſeqvitur: non verò eſſentialiter, ut Crellius lib. 2. Iſagog. cap. 3. diſt. 3. & Piſcator ad Hofmannum ſtatuunt. Nec Accidentaliter ex mente Schegkij in Reſponſ. ad libellum Anonymi, qvem ſeqvitur Grawerus in librô, cui titulus. Abſurda Abſurdorum abſurdiſſima Calviniſtica abſurda. Nec ob ἀλλοίωσιν Zvinglij nugatoriã: ſed Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus, inuſitatè & ὑποστατικῶς.

XXXIX. Qvandoqvidem enim *extrema* ſunt *diſparata:* unio *extremorum* inuſitata; modus *prædicandi* inuſitatus: Non eſt *ſpeciei* de *Individuo*, ὁσιωδῶς nec altera *Natura* prædicatur de totâ ὑποστάσει μερικῶς; nec *perſona* de perſonâ identicè; Nec Natura de Naturâ in *Abſtractô*, qvod confuſionem Evtychianam inducit: ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

ſed *concretum* Naturæ, de *concretò* Naturæ prædicatur, qvod in *Abſtractó* fieri neqvit: qvippè duo diſparata de ſe invicem negantur potiùs, qvàm affirmantur, ſed, interveniente ἐνοπτιῷ, de ſe prædicari poſſunt, ut *Theologus* eſt *Philoſophus*, non verò *Theologia* eſt *Philoſophia*. Idem heic meritò obſervatur: Altera natura ſubjicitur, altera prædicatur, non verò κατ' ἐσίαν vel ἁπλῶς; ideoq; non in *abſtractô*, ſed κατ' ἄλλο. καὶ ὑποςατικῶς: qvia in unâ ὑποςάσει uniuntur, qvæ, qvandiu ſimul connotatur, verè indè oriuntur prædicationes, concretivæ nimirum, non abſtractivæ. Meiſn. part. 1. Philoſ. Sob. Sect. 1. Qvæſt. Log. 9.

XL. Ut in pleniorem hujus *ſubjecti* cognitionem perveniamus & faciliorem nobis ad reliqva, aditum præparemus, duo diſcutienda ſe ſe offerunt. Primò, an talis Chriſtus Mediator *æternus*; ſecundò, qvænam conſideratio hujus loci ſit propria. De utroq; breviter agam. Prius qvæſitum, in hac ipſâ Academiâ, dextrè, à Beatæ memoriæ *Reſenio*, contra Coccium, eſt explicatum. Nos itaq; ipſum ſecuti, diſtingvimus inter æternum τῷ αὐτῷ, καὶ ἁπλῶς qvod *Deo Triuni* ſolùm convenit; & inter æternum πῇ ſeu æternum participatione. Qvamvis enim Chriſtus, qvà *Humanitatem*, non ſit ita *æternus* ἁπλῶς, ut *creatura* eſſe negetur: tamen *Deo æterno* ita æterna eſt, ſub ratione ſui qvavis veriſſimâ, non ſaltem qvoad ſtatum κενώσεως, ſed ſimul, qvalis indè jam ſit totus, in perpetuâ ὑπερυψώσει. Qvapropter glorificari voluit gloriâ, qvam habuit apud Patrem ab æternô, Joh. 17, 5. Reſen. diſput. hab. annô 1611. theſ. 10. & ſeqq.

XLI. Agnus hoc ſenſu dicitur, Apoc. 13, 8. *Occiſus ab origine mundi.* Qvapropter τὸ ἀπὸ καταβολῆς, ad nomina in librô vitæ inſcripta, diſtinctione inſolenti non retrahendum. *Chriſtus heri & hodiè*, & in ſecula idem: in *qvô eodem*, ante mundi fundamenta, electi ſumus. Qvocirca ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον credimus, Chriſtum *Deo & fidei* eſſe *æternum: (Deo;)* qvia, anticipatione noſtri futuri in ſuum præſens perpetuum, omnia anteqvam crearentur, cognovit; & poſtqvam conſummata fuerint, conſpicit

 omnia

omnia ſibi ſemper æqvè præſentiſſima, univerſa immutabiliter. Qvapropter æternitas ipſius, qvæ *tota eſt ſimul*, in qva nec *erat*, nec *erit*, admittitur, abſorbet qvaſi temporum διαστήματα. Unio itaq; coram illô non facta eſt certô tempore ſuccedente. (*Fidei:*) Nam patres habuerunt eundem *Chriſtum*; eadem ſalvati ſunt fide, qvæ temporum intervalla excedit. Eſt enim ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Hinc vidit Abrahamus diem Domini ſibi præſentiſſimum. Qvô modô ſi intellexeris מוֹצָאֹתָיו cum diſtributione *Egreſſionum* ſubjuncta, nihil eſt, qvod à Meiſn. rationibus tibi metuas

XLII. Jam alteram promiſſi partem, abſq; ambagibus, expedituri ſtatuimus Chriſtum, non qvatenus *Deo* & *Fidei æternus* ſit, nobisq; λόγος dicatur, heic conſiderari. Apoſtolus enim de tali *Chriſtô*, qvalem nos, prævió literarum ſacrarum ductu, ſuperius deſcripſimus, agit. Hujus Chriſti, non *incarnandi*, ſed ἐν πληρώματι χρόνου ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, *incarnati* exemplô, ad κενοδοξίαν Philippenſium retundendam, & ἐριθείαν tollendam, utitur.

XLIII. Huic ſententiæ opponunt ſe acriter *Calviniani*, qvi de Chriſtô κατὰ μέρος, id eſt, de λόγῳ, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχοντι, ſermonem eſſe unanimiter aſſerunt. Qvam rotundam Calvini aſſertionem hæc verba in Comment. ſuper hunc locum, produnt: *Chriſtus ante mundum conditum, erat in formâ Dei: qvia apud Patrem gloriam ſuam obtinebat. Nam in Dei ſapientiâ, priuſqvam carnem noſtram indueret, nihil humile, nihil abjectum, ſed magnificentia Deô digna. Talis cum eſſet, abſq; injuriâ, poterat ſe Deo æqvalem gerere: ſed non præ ſe tulit, qvod erat; nec palam ſumpſit in oculis hominum, qvod jure ſuum erat.* Calvinus heic procul dubiô, veſtigia Chryſoſtomi legit, qvi ſupra cap. 2. Philip. Serm. 6. εἰπὲ δή μοι, μορφὴν δούλου ἔλαβε, τί ἐστι; ἄνθρωπος ἐγένετο, φῇ, οὐκοῦν ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων θεὸς ἦν; μορφὴ καὶ μορφὴ κεῖται. εἰ τοῦτο ἀληθὲς κἀκεῖνο, φύσει ἄνθρωπος, ἡ μορφὴ τοῦ δούλου, οὐκοῦν φύσει θεός, ἡ μορφὴ τοῦ θεοῦ; καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ τὸ ἴσον αὐτῷ μαρτυρεῖ. Et in ſeqventibus: τί φησί; δεικνύς, ὅτι οὐ χρὴ οὕτω διαχεῖσθαι, ὅτι ὁ θεὸς ὁ μο-

νογε-

νογενὴς· ὁ ἐν μορφῇ θεοῦ ὢν, ὁ μηδὲν ἔλαττον ἔχων τοῦ πατρὸς, ὁ ἴσος αὐτῷ, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο &c. Idem cenſet Hieronymus Zanchius, part. ſecund. de tribus Elohim. lib. 1. cap. 1. pag. mihi 470. *Is cum in formâ Dei eſſet &c. Vide etiam* pag. 477. & 579: *ubi opponit æqvalitatem naturæ humanæ æqvalitati divinæ Naturæ, qvam cum Deô habere dicitur, & hac dicit Chriſtum ſe exuiſſe, nempè in ſpeciem, & qvoad uſum, & ad tempus. Daniel Toſſanus in prælect. ſuis ita ſuper hunc locum commentatur:* Locus eſt de duabus in Chriſtô Naturis de formâ Dei in qvâ erat & ſubſiſtebat, ante aſſumptam Humanam Naturam, & de formâ ſervi &c. Theodorus Beza in Notis Nov. Teſt. & Zadeel in lib. de Veritate Humanæ Naturæ, pro hac ſententiâ, tanqvam pro aris & focis, pugnant. Hemmingius ab hàc ſententiâ non multum abludit; Verba ejus hæc ſunt: Eſſe in formâ Dei, eſt Majeſtate & gloriâ ſe verum Deum declarare, id qvod fecit etiam Dominus, ante aſſumptam formam ſervi, ut hic Paulus manifeſtè loqvitur. Nam diſcernit inter tempus Majeſtatis & Inanitionis ſeu Humiliationis, qvô formam ſervi aſſumpſit. Ideò antè & formæ Dei, & formæ ſervi meminit, ut Chriſti affectus expreſſus ponatur, qvi neglectâ Majeſtatis gloriâ, ſe ita ſubmiſit, ut noſter fieret ſervus, *Humanâ Naturâ* in Unionem Hypoſtaticam *aſſumptâ.*

XLIV. Huic Calvinianorum ſententiæ obviam ivit D. Ægidius Hunnius, Theologus celeberr. de Eccleſiâ Chriſtianâ optimè meritus, cujus rationes hæ ſunt: [1.] non memorat Apoſtolus, qvomodo λόγος *Homo* ſit factus, ſed qvomodo Jeſus Chriſtus *formam ſervi* aſſumpſerit, [2.] Calviniani, pro ἰσοδυναμοῦσιν habent, eſſe *in formâ Dei*, & *Naturâ* eſſe Deum: qvibus haud inviti damus, Chriſtum *Naturâ* eſſe Deum, ſed id à præſenti ſcopô, & textu eſt alienum. Etenim λόγος nuſpiam dicitur in μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων: aliàs de Patre & ſpiritu Sanctô idem aſſeri deberet. [3.] Refelluntur nativâ verbi (ἐκένωσε) ſignificatione, qvæ *Deitati immutabili* non competit, ut ex ſeqq. patebit. [4.] Demonſtrari poterit error ipſorum ex ſubjectâ κενώσεως definitione, qvæ obſeqvium uſq; ad mortem, mortem ſanè crucis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

includit. [5.] Exaltatio, qvam Paulus immediatè ſubjicit, Deitati immutabili non congruit.

XLV. Qvæ cum ita ſint, ordo poſtulat, ut qvid per ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων denotetur, inveſtigemus. Non deſunt, qvi perſvadere ſatagunt, Apoſtolum loqvi de ſpiritu, ante mundi conſtitutionem, creatô, qvi poſtea Anima Chriſti fuit. Sed id prolixiori refutatione non eſt dignum. Nec intelligitur ſimilitudo, vel modus tantùm, nec ſpecies aut figura, nec ſpecimen miraculorum, qvæ in ſtatu κενώσεως, κατ' οἰκονομίαν edidit; neq; qvà eſt Deus ἁπλῶς καὶ οὐσιωδῶς: ſic enim λόγος, ipſa eſt μορφὴ, ipſa eſt εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου. Sed μορφὴ, in præſenti locô, reſpicit *fundamentum & originem* τῆς ἰσότητος, & ſimul glorioſam & infinitam *Majeſtatem* connotat, qvæ *Humanæ Naturæ*, ob talem ἐνυπαρξίαν, & indiviſam ὑπόστασιν, communicata eſt: ob qvam μετάδοσιν, πᾶν πλήρωμα θεότητος κατοικεῖ ἐν χριστῷ σωματικῶς.

XLVI. Accepit ergò Chriſtus σωματικῶς, omnia ἀυχήματα Divinæ Naturæ, ἐνεργητικά, nimirum omnipræſ. omniſcientiam &c. ἀμέσως; & his mediantibus, ἀνενέργητα, ſc. æternitatem, infinit. immenſ. &c. Nam æterna, infinita & immenſa fuerunt ἐνεργητικὰ Humanæ Naturæ communicata. Non ergò rapinam duxit, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, eſſe æqvalia Deo, ut vertit Reſen. in lib. Apolog. & Notis Bibl. Vernacul. **At der ſkulle være lige ting med Gud.** Qvam explicationem hoc libentiùs amplectimur, qvô exactiùs poſſeſſionem τῶν ἴσων exprimit. Non tamen ijs bellum volumus indictum, qvi ἴσα, more Græcorum, adverbialiter exponunt. Cujus rei exempla paſſim in Græcis Auctoribus ſunt obvia: Pythag. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς &c. Hom. τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἴσα θεοῖσι; Poſſel. in Syntaxi ſuâ ait Helleniſmum eſſe, & τὸ εἶναι ἴσα, poni pro nomine ἰσότητος &c. Qvæ ſententia non planè contemnenda eſt: nam articulus Neutrius Generis infinitivum ſæpius mutat in Nomen.

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

XLVII. Sed qvid Apoſtolus velit hac phraſi, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο eſſe æqvalia Deo, acriter diſceptatur. Chryſoſtomus, locô ſuperius citatô qvid eſt, inqvit, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Et hanc ſuam ſubjungit ſententiam: ὅπερ ἂν ἁρπάσῃ τις, καὶ παρὰ τὸ προσῆκον λάβῃ, τοῦτο ἀποθέσθαι οὐ τολμᾷ, δεδοικὼς μὴ ἀπόληται, μὴ ἐκπέσῃ, ἀλλὰ διὰ παντὸς αὐτὸ κατέχει. ὁ μέντοι φυσικόν τι ἔχων ἀξίωμα, οὐ δέδοικε καὶ καταβῆναι ἀπὸ ἐκείνου τοῦ ἀξιώματος, εἰδὼς ὅτι οὐδὲν τοιοῦτον πείσεται. Et poſteà ſubnectit: ὅτι θεοῦ υἱὸς οὐκ ἐφοβήθη καταβῆναι ἀπὸ ἐκείνου τοῦ ἀξιώματος: οὐ γὰρ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὴν θεότητα. οὐ δέδοικε μή τις αὐτῷ ἀφελεῖ θεοῦ τὴν φύσιν, ἢ τὸ ἀξίωμα. διὸ καὶ ἀπέθετο αὐτὸ θαῤῥῶν ὅτι αὐτὸ ἀναλήψεται, καὶ ἔκρυψεν, ἡγούμενος οὐδὲν ἐλαττοῦσθαι ἀπὸ τούτου. διὰ τοῦτο οὐχ εἶπεν, οὐχ ἥρπασεν, ἀλλὰ οὐκ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. Sed monſtret nobis θεότητα Chriſti depoſitam eſſe. Calviniani eadem oberrant chordâ: exponunt enim ἡγήσατο, per modum potentialem, ſubintelligendô ἂν, ut Rom. 9, 3. ηὐχόμην, pro optâſſem; & 1. Cor. 2. v. 8. εἰ γὰρ ἔγνωσαν, pro cognoviſſent. Prodit ergò hic ſenſus: Chriſtus in eſſentiâ Dei ante incarnationem ſubſiſtens, non illicitum ſibi eſſe duxiſſet, gerere ſe æqvalem Deo. Undè Calvinus: non hîc dicitur, qvid fecerit Chriſtus, ſed qvid facere ipſi licuerit.

XLVIII. Nos duo hac phraſi importari contendimus. Primò oſtenditur *Chriſtum* nullo raptu poſſidere τὰ ἴσα θεῷ, nec qvà *divinitatem* cui οὐσιωδῶς καὶ κατ' αὐτὸ competunt; nec qvà *Humanitatem*, cui ὑποστατικῶς καὶ κατ' ἄλλο gratuitâ ſc. μεταδόσει communicantur. Secundò, non ſolùm non rapuit, ſed non exiſtimavit eſſe *rapinam:* qvod ex mente Chryſoſtomi nos non interpretamur; nec tamen absq; prægnanti cauſâ, ita loqvutus eſt Apoſtolus. Sed qvandoqvidem Humana natura, ſecundum qvam Chriſtus exinanitus eſt, parem ἐξουσίαν cum Deo, per *unionis gratiam* minimè vero *per raptum*, accepit; Non *rapinam duxit*, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ ɔ: non voluit ἰσότητα, ad depellendas infirmitatum injurias, & mortem vitandam oſtentare.

XLIX. Sed ſecus qvàm ἅρπαξ ſeipſum liberrimè exina-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

nivit, & extremè humiliavit, qvod ſignificanter verbo (ἐκέ ωσε) ab Apoſtolo effertur. Calvinus exponit per in nihilum redigi. Zanchius de tribus Elohim lib. 2. cap. 5. pag. 515. ἑαυτὸν ἐκένωσε: non poteſt intelligi, niſi reapſe. Reapſe igitur: habuit eam gloriam, anteqvam fieret homo. Vide etiam pag. 579. Sed κενόω & κενὸς, ſtylô Biblicô, ſignificant abſtinere ab uſurpatione: & uſurpantur de intermiſſione & inanitione efficacis operationis 1. Ch. 15, 10. 14, 58. 1. Ch. 9. v. 15. 2. Cor. 6. v. 1. Qvamvis enim ſubſiſteret ἐν μορφῇ θεοῦ, tamen infirmitates unitæ Naturæ retinuit. Qvas μορφὴ δούλου, incluſô *fundamenti* reſpectu, indigitat. Et ſic illud Eſ: completū eſt יֶלֶד יֻלַּד־לָנוּ בֵּן נִתַּן־לָנוּ וַתְּהִי הַמִּשְׂרָה עַל־שִׁכְמוֹ Qvod Reſenius benè vertit: **Et Barn er fød oß/ en Søn er giffuen oß/ oc Førſtedømmit ſkal være paa hans Skulder.** Dominus Dominorum, Rex Regum, non ab alijs geſtatur, ſed Dominiô ſupra humeros poſitô, alios geſtat, alijs ſervit.

L. Varia hujus κενώσεως explicatio multis crucem fixit, imò ejuſdem Auguſtanæ confeſſionis Theologos diſtraxit. Nimis enim notum eſt, qvas turbas inter Tubingenſes & Haſſiacos Theologos excitârit. Haſſiaci Mentzerus & Fevrbonius exiſtimarunt hanc κένωσιν obſtare qvô minùs caro Chriſti in ſtatu humiliationis ſit omnipræſens & ſic veram omnipræſentiæ cauſam ὑπερύψωσιν agnoverunt. Sed Vyrtembergici liqvidò monſtrarunt omnipræſentiam à momento ſeu puncto conceptionis carni datam: qvi enim negat Chriſtum actu perſonæ toto humiliationis tempore, per triginta qvatuor fermè annos, nec creaturis adfuiſſe, nec eaſdem gubernaſſe, is perſonam divellit, & ἐνεργειῶν κοινωνίαν evertit, imò μετάδοσιν ipſam deſtruit. Qvapropter Vyrtembergici ita loqvuntur: Inter omnes piè doctos, conſtat nonnulla ἰδιώματα ita eſſe comparata, ut, qvamvis aliud ſit Majeſtas, aliud realis exertio iſtius idiomatis: illas tamen actum ſecundum, per Naturam Dei, exiſtentibus creaturis, ſuſpendere nunqvam qveant. Exempli cauſa: Deus non poteſt non actu ſecundô omnia ſcire; Deus non poteſt non res creatas ex ὑποθέσει nimirū qvamdiu in ſuo eſſe perdurant & ſubſiſtunt, regere, ſuſtentare, guber-

nar

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

nare. Deus non poteſt non vi immenſitatis ſuæ rebus ſc: creatis
exiſtei tibus, propinqvitate ſubſtantiali adeſſe. Cùm itaq; διτλο-
πόϊιαν omnes deteſtemur, ſeqvitur eandem eſſe rationem ἰδιωμά-
των carni communicatorum.

LI. Non tamen hinc ſeqvitur ſimulatam fuiſſe κένωσιν. *To-
tus* enim *Chriſtus* reapſe ſe exinanivit ſecundum *Humanitatem*,
tanqvam principium qvo. *Totus* naſcitur; *totus* eaſdem in partu
difficultates nobiſcum ſubit. Qvam ſummam ipſius κένωσιν, ma-
tris paupertas, loci ignobilitas, diverſorij contemptus compro-
barunt. Imò in univerſo vitæ curriculô, perſecutiones & exilia
pertulit; cruciatus maximos ſuſtinuit. Qvocirca ſcriptura de ipſo
affimare non dubitat: cœpit λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδιμονεῖν;
imò ſudorem per guttas concreti ſangvinis, emittere.

LII. Hanc expoſitionem (verborum μορφὴν δούλου λαβὼν)
genuinam & ſacram eſſe ex ſeqventibus (ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων
γενόμενος) liqvet: qvæ ἐξηγητικῶς ab Apoſtolo ponuntur. Qvo-
modo verò ſint intelligenda ex ſynodo Chalcedonenſi diſcimus:
Confitetur enim Chriſtum ὁμοούσιον ἡμῆν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα,
κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας. Ubi ſuam de ὁμοιώματι
ſententiam haut obſcurè proponit. Significanter verò ὁμόιωμα
ponitur, non verò ὁμοίωσις. Nam nomen verbale [ut notat Pa-
ſor] à ſecunda perſona præt. paſſ. ortum, actum & motum ſigni-
ficat, à perſona verò prima præt. paſſ. indicat rem motu factam.
ὁμοίωμα ergo erit illud, qvod ex ὁμοιώσει oritur: Sed ad inveſti-
gandū, qvodnam noſtræ ὁμοιώσεως ὁμόιωμα fuerit, œdipô con-
jectore non eſt opus: *Infirmitates* enim fuiſſe in confeſſo eſt, qvas
per ἰδιοποίϊσιν Chriſto Deo attribuere non veremur.

LIII. Ille enim ob hoc ἀνθρώπων ὁμόιωμα habitu inventus
eſt, ut homo qvemadmodum loqvitur Apoſt. v. 8. ubi non ταυτο-
λόγως repetitur id, qvod ſuperiori continetur verſiculo. Verùm
ſenſus eſt: Chriſtus ſe ultrò multis infirmitatibus ſubjecit, qvæ
δουλείαν ſpontaneam ſat oſtenderunt. Qvapropter σχήματι inven-
tus eſt, inſtar nudi hominis. Sed ut Apoſtolum melius intelliga-
mus, vox σχήματος eſt explicanda, de qva non omnes eandem
fovent

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

fovent ſententiam. Qvidam eâ abutuntur ad palliandam Marcionis hæreſin & opponunt σχῆμα Humanæ Naturæ veritati, qvos vir celeberrimus Dn. D. Caſparus Brochm: erroris convincit Artic: de Chriſto θεανθρώπω cap. 4. qvæſt. 1. Ubi ſufficienter docet ex ſcopô Apoſtoli σχῆμα non opponi ἀνθρώπω, ſed ὑπερυψώσει. Præterea non conſtans hîc omnium exemplarium lectio eſt. Editio enim Baſileenſis anno 1545. apud Nicolaum Bryllingerum excuſa loco σχήματος legit χρῆμα qvod nos mendoſum eſſe exiſtimamus. Qvandoqvidem Chryſoſtomus qvi ante vixit legerit σχῆμα: de aliorum Patrum lectione nihil heîc definio, ſed id negotij committo ijs, qvi ingenij ſunt exercitatioris, & Bibliothecæ inſtructioris.

LIV. Nos ſaltem urgemus Chriſtum habitu inventum eſſe ὡς ἄνθρωπον, ubi particula ὡς non ſecundum Manichæos eſt *ſimilitudinis*, ac ſi verus non fuiſſet homo; ſed ut ſæpè aliàs *certitudinis* legantur ex denſo locorum numero 1. Pet. 1, 19. Joh. 1. v. 14. Qvale hoc σχῆμα ἀνθρώπινον fuerit diſcribit Apoſtolus partim *verbo* ἐμφατικωτάτω ἐταπείνωσε, qvod contemptum ac extremam humilitatem indicat; partim *certo* ταπεινώσεως *genere*; qvod Apoſtolus exerto velut digito monſtrat dum hæc ſubjungit γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. ubi δὲ non eſt *diſcretivum*, ſed *affirmativū* valens idem, ac δὴ vel δῆτα, ut, Gal. 4, 20. Col. 1, 21. de qvibus ſingulis prolixius eſſet agendum. Sed veremur ne præſens diſputatio nimium excreſcat; qvapropter ſubſeqventem verſiculum 9. breviter ſumus explicaturi.

LV. Et ut inoffenſô pede progrediamur notanda eſt συνέπεια ſeu textus ipſius cohærentia, qvæ vi voculæ διὸ inſinuatur: de qvâ non idem omnes ſentiunt. Scholaſtici heîc varias texunt tricas: Lombardus, qvem reliqvi ſeqvuntur, ſtatuit, Chriſtum qvidem *nobis* redemptionem, *ſibi* autem immortalitatis & impoſſibilitatis gloriam, meruiſſe & ſic humilitas paſſionis, meritum fuiſſet exaltationis. Qvos Brochm Art. de off: Chriſti cap. 6. qvæſt. 7. rectè caſtigat: Chriſtus enim non ſe exinanivit ut *ſibi* qvicqvã paſſione & afflictiori ſtatu mereretur ſed ut *nos* in priſtinum libertatis ſtatum aſſereret. Unde Propheta: *Nobis* natus eſt; *nobis* datus eſt:

affli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-303 4° 1537